


# EPISTULA LEONINA

## CLXXXII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CLXXXI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM OCTOGESIMAM SECUNDAM (182) !**

## ARGUMENTA

|  |       |
|--|-------|
| OBSEQUIUM AMICOS VERITAS ODIUM PARIT.....              | 03    |
| »DOMINA MERKEL QUANDO TE EXCUSABIS...?«.....           | 04-06 |
| FABELLA GRIMMIANA: De Iohannulo aleatore.....          | 07-11 |
| VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (IX): Ars suendi..... | 12-17 |
| DE PACTO MIGRATIONIS GLOBALI.....                      | 18-20 |

## LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

### *Cara Lectrix, Care Lector,*

*nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam octogesimam secundam (182). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!*

*Denuo cena tibi apposita est opipara: tolle lege frueri!*

**Medullitus Te salutat**

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Dominicâ, 25. m.Nov., a.2018**



## **OBSEQUIUM AMICOS VERITAS ODIUM PARIT**

**CICERO, Laelius de amicitia [89]** Sed nescio quo modo verum est, quod in **Andria** familiaris meus dicit: **Obsequium amicos, veritas odium parit**. Molesta veritas, siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiae, sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens praecipitem amicum ferri sinit; maxima autem culpa in eo, qui et veritatem aspernatur et in fraudem obsequio impellitur. Omni igitur hac in re habenda ratio et diligentia est, primum ut monitio acerbitate, deinde ut obiurgatio contumelia careat; in obsequio autem, quoniam Terentiano verbo libenter utimur, comitas adsit, assentatio, vitiorum adiutrix, procul amoveatur, quae non modo amico, sed ne libero quidem digna est; aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur.

## »DOMINA MERKEL QUANDO TE EXCUSABIS...«

<https://www.youtube.com/watch?v=UNKh36uTBH8>



*D.13. m.Nov. a.2018 Angela Merkel oratione nonaginta minutarum ante parlamentum Unionis Europaeae cum cetera tum praecipuê postulavit, ut institueretur exercitus Europaeus, ut fieret unio mensarum argentariarum necnon ut migratores ab omnibus Europaeis communiter reciperentur. Verbis Merkelianis auditis Nigel Farage, Britannus partis politicae UKIP, respondit ferê haec:*

»Domina Merkel,

multi collegae mei eurocritici hîc hodie te clamando vituperaverunt. At mihi videtur non oportere, ut illi hoc faciant. Oportet Britanni tibi applaudant. Nam sine te numquam fieri potuisset, ut Britanni ex Unione Europaeâ exirent. Et hac de causâ tibi medullitus gratias ago. Ipsi illi eurosceptici – sive sunt sinistrae sive mediae sive dextrae partis – post suffragia europaea mense Maio facta ingenti numero huc revertentur – effectu ipsius tuae rationis politicae migrationis et asyli. Ratione tuâ agendi infirmâ excitatum est ingens flumen migratorum, reverâ incursatio massalis<sup>1</sup> trans mare mediterraneum est facta. Viri

<sup>1</sup> *incursatiō massālis* orig. *stampede*


iuvenes ex cultibus civilibus vehementer variis exorti, qui numquam in animo habuerant se hîc integrare, iuvenes, quorum nullus umquam reverâ fuit profugus. Nos de *referendo* deliberantes istud multimodis considerantes diximus: *‘Nos nolumus esse participes Unionis Europaeae, cui magis magisque Germania dominatur, et certê nolumus pretium solvere pro Dominae Merkel erroribus!’* Cum hodie hîc te hisque diebus praeteritis nonnullos politicos primores audiverim, pro certo habeo nos eo, quod Unionem Europaeam relinquimus, reverâ liberari. Nobis dicitur oportere, ut haec Unio Europaea nunc fiat imperium, quod habeat exercitum proprium – istaec Unio Europaea non democratica, quae fines suos magis magisque extendat versus orientem – Unio Europaea, quae Americae Civitatibus Unitis indixit novum bellum frigidum, Unio Europaea, quae conatur rescribere historiam. Centum annis post primum bellum mundanum finitum oportet serio sollicitemur. De ideâ, quâ putatur Unione Europaeâ armatâ pacem aliquatenus confirmatum iri, opinor oportere, ut te reclinans iudices aliquantulo diligentius. Fortasse oportet, ut vos omnes relegatis historiam. Nam institutum europaeum conditum est, ut dominatio Germaniae sisteretur. At id quod nos hodie hîc vidimus, est conatus acquirendi<sup>1</sup> intectus. Hîc facto inevitabile est Britanniam ex Unione exire. Quod attinet ad alias terras, Domina Merkel: Cursum fecisti honorum longum. At decretum tuum, quo portae apertae sunt sine ullâ conditione, fuit decretum pessimum omnium quae in Europâ post bellum umquam sunt facta. *Domina Merkel, nonne est tempus, ut confitearis errorem tuum? Nonne tempus est, ut te excuses apud cives Germanos multosque alios et dicas: ‘Me paenitet damni, quod vobis intuli, et difficultatum, quas vobis inflixi per multa decennia duraturas?’*<sup>2</sup>«

---

<sup>1</sup> **cōnātus acqūirendi intēctus** orig. *a naked takeover bid*. theod. *unverhülltes Übernahmeangebot, unverhüllter Übernahmeversuch*. cfr <https://www.investopedia.com/terms/t/takeoverbid.asp> What is a 'Takeover Bid'? - A takeover bid is a type of corporate action in which an acquiring company makes an offer to the target company's shareholders to buy the target company's shares *to gain control of the business*. Takeover bids can either be friendly or *hostile*. <https://www.collinsdictionary.com/de/worterbuch/englisch/takeover-bid> business an offer or bid made by a company or business in order to purchase or acquire another company or business a hostile takeover bid for NCR, America's fifth-biggest computer-maker

<sup>2</sup> orig. „So I think Brexit becomes a necessity after this; and for the rest of the countries, Mrs. Merkel: You’ve had a long, successful career, but your political decision to open up the doors unconditionally is the worst decision we’ve seen in post-war politics in Europe. Is it not time for you at last to admit that you were wrong? Is it not time for you to say to German communities and many others: ‘*Sorry for what I’ve done to you and the problems I’ve inflicted upon you for many decades to come*’?”

**ORATIONEM ANGLICAM  
QUAM HABUIT  
*NIGEL FARAGE*  
BRITANNUS  
D.XIII M.NOV. A.MMXXVIII  
IN PARLAMENTO EUROPAEO  
BRUXELLENSI  
IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS**

# FABELLA GRIMMIANA

## DE IOHANNULO ALEATORE



Aliquando fuit quidam vir, qui nihil faciebat nisi ludebat aleis chartisque; itaque homines eum vocabant *Iohannulum aleatorem*, et quia ludere non desiit, ludendo perdidit domum suam ceteraque omnia. Nunc die ultimo, quo imminebant illi, quibus Iohannulus ad summam pauperiem redactus domum suam erat traditurus, advenerunt Dominus Deus noster et Sanctus Petrus rogantes, ut apud eum pernoctarent. Tum Iohannulus aleator: »Per me« inquit, »nocte hîc maneatis; sed neque lectum neque cibos vobis praebere possum«. Tum Dominus Deus noster dixit, ut se reciperet, se ipsos sibi velle cibos emere; hoc placuit Iohannulo aleatori. Tum Sanctus Petrus ei dedit tres grossos, ut iisdem apud pistorem emeret panem. Nunc autem Iohannulus aleator profectus est. At ubi primum Iohannulus domum praeteriit, ubi ceteri inerant aleones furciferi, qui ludendo acceperant totam Iohannuli pecuniam, isti unâ voce clamaverunt: »Heus Iohannule, fac ut intres!« - Tum Iohannulus: »Vosne« inquit, »vultis ludendo accipere etiam tres istos grossos?«. At illi non desierunt



Iohannulum invitare. Deinde îdem intravit necnon tres grossos ludendo perdidit.



At Sanctus Petrus atque Dominus Deus noster diu exspectaverunt, et tandem cum Iohannulus non venisset, ei obviam ierunt. Sed Iohannulus aleator cum videret illos venientes, simulavit tres illos grossos sibi in lacullam aquae cecidisse, quam impigrê baculo peragitabat: At Deus Dominus noster iam scivit eum grossos ludendo perdidisse. Tum Sanctus Petrus ei iterum tres grossos dedit. Nunc autem Iohannulus non iam temptatus illis panem attulit. Tum Deus Dominus noster ex Iohannulo quaesivit, num vinum haberet; tum is dixit: »O Domine, dolia omnia sunt vacua«. Tum Deus Dominus noster dixit, ut is descendat in hypogeum, infra esse adhuc vinum optimum. Iohannulus autem hoc diu non credidit, tandem: »Descendam« inquit, »sed scio infra esse vinum nullum«. At Iohannulus ubi primum dolium terebravit, effluxit vinum optimum. Nunc Iohannulus Deo et Sancto Petro vinum attulit et illi apud eum pernoctaverunt. Postridie primâ luce Deus Dominus noster Iohannulo aleatori dixit, ut is sibi tres venias rogaret. Deus enim sensit Iohannulum sibi rogaturum esse caelum, sed Iohannulus aleator rogavit, ut acciperet chartas lusorias, quibus semper vinceret et aleas, quibus semper vinceret necnon arborem, in quâ omnia poma crescerent, et si quis in eam ascendisset, eum non iam descendere posse, antequam Iohannulus ei hoc imperavisset. Nunc autem Deus



Dominus noster omnia dedit, quae Iohannulus postulaverat, et unâ cum Sancto Petro abiit.



**ALEONES. PINXIT MATHIEU LE NAIN.**

Nunc Iohannulus aleator eo magis coepit ludere nec multum afuit, quin mox ludendo pareret mundum dimidium. Tum Sanctus Petrus dixit Deo Domino nostro: »Domine, ista res non bene evadet, periculum est, ne iste homo denique pariat totum mundum; debemus isti mittere Letum«. Tum iidem Iohannulo miserunt Letum<sup>1</sup>. Leto veniente scilicet Iohannulum aleatorem sedere ludentem; tum Letus: »Iohannule« inquit, »velim paulisper mecum exeas!« Sed Iohannulus aleator: »Paulisper tantum« inquit, »exspectes, usquedum lusus finiat interimque ascendas arborem foris stantem et carpas nonnullos fructûs, ut iter facientes habeamus cuppedias quibus fruamur«. Itaque Letus arborem ascendit, sed descendere volens non potuit, et Iohannulus aleator per septem annos illum descendere non passus est; quo factum est, ut hōc spatio temporis nullus homo moreretur.

Deinde Sanctus Petrus dixit Deo Domino nostro: »Domine, ista res haud bene fit; nam nullus iam homo moritur; oportet nos ipsi proficiscamur«. Nunc iidem ipsi venerunt et Deus Dominus noster Iohannulo aleatori imperavit, ut Letum sineret ex arbore descendere. Tum Iohannulus statim abiit et Leto dixit: »Descende« et Letus

<sup>1</sup> **Lētus**, -ī m. daemon mortis, personificatio mortis masculina. CIL 6,19007.

Iohannulum statim correptum suffocavit. Tum ambo unâ abierunt et venerunt in alterum mundum. Tum Iohannulus aleator ad portam caeli iit et pulsavit. »Quis foris est?« - »Iohannulus aleator«. - »Ah, te non egemus, fac abeas«. Tum Iohannulus iit ad purgatorium iterumque pulsavit. »Quis foris est?« - »Iohannulus aleator«. - »Ah, apud nos iam satis miseriae atque angustiarum, nos nolumus ludere. Fac ut abeas«. Tum Iohannulus iit ad portam gehennae, et permissum ei est, ut intraret; at in gehennâ nemo domi fuit nisi vetus Lucifer et nonnulli diaboli incurvi (diabolis rectis modo aliquid in mundo fuit agendum), et tum Iohannulus consedit et denuo coepit ludere. At Lucifer nihil habuit nisi diabolos suos incurvos. Quos ab eo vincendo accepit Iohannulus aleator, quia îdem chartis suis omnia ludebat. Nunc Iohannulus aleator unâ cum diabolis suis incurvis profectus iit in oppidum *Hohenfürth* ibique contis lupuli<sup>1</sup> evulsis in caelum ascenderunt tamque vehementer caelum impulerunt, ut creparet. Tum Sanctus Petrus denuo dixit: »Domine, ista res haud bene agitur, necesse est, ut eum introire sinamus, alioquin caelum nobis praecipitabit«. Deinde Iohannulum intro ire siverunt. At Iohannulus aleator statim denuo ludere coepit, et tantus fragor tantusque strepitus factus est, ut nemo intellexeret verba a se ipso facta. Tum Sanctus Petrus denuo: »Domine« inquit, »ista res haud bene agitur, necesse est ut istum eiciamus, ne totum caelum faciat seditiosum«. Nunc Iohannulum invecti eiecerunt, ut eius anima divideretur in partes multas, quae invectae sunt in omnes istos aleatores furciferos, qui adhuc vivunt usque tempus hodiernum.



\* \* \* \* \*

<sup>1</sup> **contus lupuli** orig. *Hopfenstange*. **lupulus**, -ī m. = **lupus salictārius** theod. *Hopfen*; angl. *houblon*; span. *lúpulo*; ital. *luppulo*; ngr. *Λυκίσκος*

**FABELLAM GRIMMIANAM**  
**C.T. »De Spielhansl«**  
**IN LATINUM CONVERTIT**  
**LEO LATINUS**

## **VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (IX)<sup>1</sup>**

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

**CORBEIL, Jean-Claude/ ARCHAMBAULT, Ariane:**

**PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.**

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebeamus partem primam, quae spectat ad astronomiam.

Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I. ASTRONOMIA – II. TERRA – III. REGNUM PLANTARUM – IV. REGNUM ANIMALIUM – V. HOMO – VI. NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII. DOMESTICA – VIII. PLASSATIO DOMESTICA ET OPERA HORTULANA – IX. VESTIMENTA – X. INSTRUMENTA PERSONALIA – XI. ARS ET ARCHITECTURA – XII. COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII. TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV. ENERGIA – XV. SCIENTIAE – XVI. ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas primam partem huius enchiridii singularis vocabulis Latinis ditificatam.

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

---

<sup>1</sup> cfr EL 163, p.5-8: VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (VIII).

## ARTĒS FABRĪLĒS (I): Ars suendī

| Theodiscê                           | Anglicê                  | Franco-gallice                | Hispanic                      | Italicê                              | Latinê  |
|-------------------------------------|--------------------------|-------------------------------|-------------------------------|--------------------------------------|---|
| <b>p.452<br/>KUNST-<br/>GEWERBE</b> | CRAFTS                   | ARTISANAT                     | OFICIOS                       | MESTIERI                             | <b>ARTĒS FABRĪLĒS</b>   |
| Nähen                               | sewing                   | couture                       | costura                       | cucito                               | <b>ars suendī</b>   |
| Nähmaschine                         | sewing machine           | machine à coudre              | máquina de coser              | macchina da cucire                   | <b>māchina sūtōria</b>  |
| Druckeinsteller                     | pressure dial            | réglage de pression           | regulador de presión          | regolatore de pressione              | <b>*rēgulāmentum pressiōnis</b>   |
| Fadenhebel                          | thread take-up lever     | releveur de fil               | palanca tensora               | leva tirafilo                        | <b>vecticulus filī relevandī</b>  |
| Fadenleitöse                        | thread guide             | guide-fil                     | guía del hilo                 | guidafilo                            | <b>*fīlductus, -ūs m.</b>   |
| Stichbreitenwähler                  | stitch width selector    | réglage de largeur de point   | regulador de ancho de puntada | selettore dell'ampiezza dei punti    | <b>*sēlēctrum latitūdinis *pūnctōriae</b>   |
| Arm                                 | arm                      | bras                          | brazo                         | braccio                              | <b>bracchium, -īī n.</b>  |
| Garnrollenstift                     | spool pin                | broche porte-bobine           | portabobina                   | portarocchetto                       | <b>stilus pānī</b>  |
| Spuler                              | bobbin winder            | bobineur                      | rebobinador                   | avvolgitore della bobina             | <b>alabrum, -ī n.</b>   |
| Handrad                             | hand wheel               | volant                        | volante                       | volantino                            | <b>rota manuālis</b>  |
| Nadelpositions-wähler               | needle position selector | positionneur                  | selector de posición de aguja | selettore della posizione dell'ago   | <b>*sēlēctrum acūs pōnendae</b>   |
| Stichlängenwähler                   | stitch length regulator  | règle-point                   | regulador de largo de puntada | regolatore della lunghezza dei punti | <b>*rēgulāmentum longitūdinis pūnctiōnum</b>  |
| Nährichtungseinsteller              | reverse stitch button    | bouton de point arrière       | botón de puntada              | bottone di marcia indietro           | <b>+botō pūnctiōnis reversae</b>  |
| Ständer                             | column                   | colonne                       | columna                       | colonna                              | <b>columna, -ae f.</b>  |
| Netz/ Lichtschalter                 | power/light switch       | interrupteur moteur/éclairage | interruptor luminoso          | interruttore motore/luce             | <b>*mūtāmen *mōtri lūcisque</b>   |
| Stichwähler                         | stitch selector          | sélecteur de points           | selector de puntada           | selettore dei punti                  | <b>*sēlēctrum pūnctiōnum</b>  |
| Flachbett                           | bedplate                 | plateau                       | placa de base                 | tavola di lavoro                     | <b>lāmina operandī</b>  |
| Spanneinrichtung                    | tension block            | bloc-tension                  | regulador de tensión          | blocco di tensione                   | <b>*rēgulāmentum tēnsiōnis</b>  |
| Schiebeplatte                       | slide plate              | plaque-glissière              | placa corrediza de la canilla | placca scorrevole                    | <b>lāmina ductilis</b>  |
| Stichplatte                         | needle plate             | plaque à aiguille             | placa de la aguja             | placca dell'ago                      | <b>lāmina acuāria</b><br>[cfr acuārius, -ii m. 1. acus, I. <i>one who makes needles or pins</i> , Inscr. Orell. 4139. Lewis/Short, LL.D. Oxford 1879] |
| Spule                               | bobbin                   | canette                       | canilla                       | bobina                               | <b>pānus, -ī m.</b>   |
| Stoffdrücker                        | presser foot             | pied-de-biche                 | prensatelas                   | pedino premistoffa                   | <b>pediculus pressōrius</b>   |
| Nadel                               | needle                   | aiguille                      | aguja                         | ago                                  | <b>acus, -ūs f.</b>   |
| Kopf                                | head                     | tête                          | cabeza                        | testa                                | <b>caput, -itis n.</b>  |

|                          |                    |                             |                               |                            |  |
|--------------------------|--------------------|-----------------------------|-------------------------------|----------------------------|--|
| Spulenkapsel             | bobbin case        | boîte à canette             | bobinas                       | capsula della bobina       | <b>capsula pānī</b>  |
| Spule                    | bobbin             | canette                     | canilla                       | bobina                     | <b>pānus, -ī m.</b>  |
| Kapselfinger             | latch              | verrou                      | lengueta                      | leva a linguetta           | <b>pessulus, -ī m.</b>                                       |
| Greifer                  | hook               | crochet                     | portacanilla                  | crochet                    | <b>uncīnus, -ī m.</b>  |
| Geschwindigkeitsregelung | speed controller   | contrôle de la vitesse      | pedal de velocidad            | regolatore de la velocità  | <b>*rēgulāmentum vĕlōcītātis</b>                             |
| Verbindungskabel         | connecting socket  | prise de raccordement       | enchufe                       | presa di connessione       | <b>capsa cōnexīva</b>  |
| Tretplatte               | foot control       | commande au pied            | pedal eléctrico               | comando a pedale           | <b>*rēgulāmentum pedāle</b>                                  |
| Spanneinrichtung         | tension block      | bloc-tension                | regulador de tensión          | blocco di tensione         | <b>*rēgulāmentum tēnsiōnis</b>                               |
| Fadenleitöse             | thread guide       | guide-fil                   | guía del hilo                 | guidafile                  | <b>*fīlductus, -ūs m.</b>                                    |
| Spannfeder               | tension spring     | ressort compensateur de fil | resorte de tensión            | molla di tensione          | <b>elatēr tēnsiōnis</b>                                      |
| Spannungseinsteller      | tension dial       | indicateur de tension       | regulador de tamaño de punto  | regolatore di tensione     | <b>*rēgulāmentum tēnsiōnis</b>                               |
| Spannscheibe             | tension disc       | disque de tension           | disco de tensión              | disco di tensione          | <b>discus tēnsiōnis</b>                                      |
| Nadel                    | needle             | aiguille                    | aguja                         | ago                        | <b>acus, -ūs f.</b>  |
| Kolben                   | shank              | talon                       | talón de aguja                | gambo                      | <b>tālus, -ī m.</b>  |
| Rinne                    | groove             | rainure                     | ranura                        | scanalatura                | <b>stria, -ae f.</b>   |
| Schaft                   | blade              | tige                        | aguja                         | lama                       | <b>scāpus, -ī m.</b>   |
| Öhr                      | eye                | chas                        | ojo                           | cruna                      | <b>forāmen, inis n.</b><br>[VULG. Matth. 19,24 foramen acus] |
| Spitze                   | point              | pointe                      | punta                         | punta                      | <b>apex, -icis m.</b>  |
| Stoffdrückerstange       | presser bar        | barre de pied presseur      | barra del prensatelas         | barra del premistoffa      | <b>contus pediculī pressōriī</b>                             |
| Nadelhalterschraube      | needle clamp screw | vis de pince-aiguille       | tornillo della aguja          | vite del morsetto dell'ago | <b>cochlea retināculī acuāriī</b>                            |
| Stoffdrücker             | presser foot       | pied-de-biche               | prensatelas                   | pedino premistoffa         | <b>pediculus pressōrius</b>                                  |
| Schiebeplatte            | slide plate        | plaque-glissière            | placa corrediza de la canilla | placca scorrevole          | <b>lāmina ductilis</b>                                       |
| Spule                    | bobbin             | canette                     | canilla                       | bobina                     | <b>pānus, -ī m.</b>  |
| Transporteur             | feed dog           | griffe d'entraînement       | dientes de la leva            | trasportatore              | <b>*trānsportāculum, -ī n.</b>                               |
| Nadel                    | needle             | aiguille                    | aguja                         | ago                        | <b>acus, -ūs f.</b>  |
| Fadenabschneider         | thread trimmer     | coupe-fil                   | cortahilos                    | tagliafile                 | <b>*fīlsectrum, -ī n.</b>                                    |
| Nadelhalter              | needle clamp       | pince-aiguille              | portaaguja                    | morsetto dell'ago          | <b>retināculum acuārium</b>                                  |
| Fadenleitöse             | thread guide       | guide-fil                   | guía del hilo                 | guidafile                  | <b>*fīlductus, -ūs m.</b>                                    |
| Nadelstange              | needle bar         | barre à aiguille            | barra della aguja             | barra dell'ago             | <b>contus acuārius</b>                                       |
| Reißverschluss           | zip fastener       | fermeture à glissière       | cremallera                    | chiusura lampo             | <b>clūsūra tractilis</b>                                     |
| Zähne                    | teeth              | dent                        | dientes                       | dentini                    | <b>denticulī, -ōrum m.pl.</b>                                |
| Schieber                 | slide              | curseur                     | corredera                     | cursore                    | <b>curriculum, -ī n.</b>                                     |

|                  |                            |                      |                           |                           |   |
|------------------|----------------------------|----------------------|---------------------------|---------------------------|---|
| Griff            | tab                        | tirette              | lengüeta                  | tirante                   | <b>+trahiculum</b> , -ī n.<br>[http://www.koeblergerhard.de/wikiling/index.p<br>p?f=latin&page=8951:<br>„trahiculum (mlat.) n. Zugriemen“]                                      |
| Band             | tape                       | ruban                | cinta                     | lembo                     | <b>taenia</b> , -ae f.  |
| Endklammer       | stop                       | butée                | tope                      | arresto                   | <b>fībicula finālis</b>   |
| Verschlüsse      | fasteners                  | attaches             | accesorios<br>para cerrar | chiusure                  | <b>clūsūrae</b> , -ārum f.pl.   |
| Druckknopf       | press stud                 | bouton-pression      | automático                | bottone<br>automatico     | <b>+botō pressōrius</b>   |
| Vertiefung       | socket                     | côté femelle         | hembra                    | femmina                   | <b>pars (botōnis) fēminīna</b>  |
